

Aut igitur Typographiâ mihi opus est in Austria; aut domo abeundum diutina mora, relinquenda uxor, tres parvuli, filia nubilis; aut si simul adducenda familia (pars ejus certe typi mei numerici excudendis & Ephemeribus) divellimur ab amicis, extinguimus notitiam, obrepit nostri oblivio; nummatiores eximus quam revertamur, situ pereunt aut periclitantur turbis bellicis supellectilia. Quod si eam, quis locus eligendus? vicinus an remotus? vastatus an vastandus? Hac super re statui primo quoque tempore Cæsaris exquirere voluntatem. Sed multum in concipienda propositione interest, domi benè deliberasse in utramque partem. Sed abrumpo; ob discessum Baronum. Tu vale, meque ama. D. 10. Maij. 1624. Lincii.

*M. Ber-*